

tur, munitioque oppidi Kaproncza bono modo fiat, resque illa, uti Sua Serenitas ad suam Maiestatem scribit, nullam moram ulteriorem patiatur, non abs re fore demisse putaremus, ut Maiestas sua Caesarea certos Commissarios ex Aula eo deligeret et Reverendissimum Episcopum Zagrabiensem, alias Bannm, et Status atque Ordines dicti Regni Sclavoniae et Croatiae litteris suis, ex Cancellaria sua Hungarica editis, statim requireret, ut cum Maiestas sua benigne decrevisset, confinium illorum aliasque certas ob causas, bonum publicum concernentes, certos suos Commissarios illuc propediem expedire, per eos nomine suae Maiestatis requisiti Zagrabiam convenire, et ea, quae ipsorum et patriae salutem concernerent, ab illis percipere, in omnibusque sese morigeros exhibere, et una cum illis omnia diligenter consultare atque etiam in effectum perducere velint, et hoc pacto, non tanquam Diaetae generalis, sed tantum Commissionis specialis nomine, interim donec Diaeta publica, more alias consveto, ibi quoque celebrari posset, omnia bono modo componi posse humillime existimaremus. Quod erat Serenitati vestrae ad benignum eiusdem mandatum, litteris Suae Maiestatis et Serenissimi Archiducis iterum remissis, humillime rescribendum.

Quam Deus aeternus diu salvam atque incolumem conservet. Posonii Februarii 1577.

Eiusdem Serenitatis Vestrae

Fideles servitores

Camerae Hungaricae Praefectus et Consiliarii

Ep. Agriensis m. p.

Ghozmoy m. p.

*A tergo:*

Serenissimo Principi et domino domino Ernesto, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, Comiti Tyrolis et domino nobis Clementissimo.

Ad Cameram Aulicam.

Ex Protocollo Regni Congregationum.